



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**


**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XII. Crux dominica baculus Jacob, cujus ope nos oportet hujus  
sæculi transire Jordanem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

exaudi me clamantem ad te. *Aperi mibi SS. Vulnera tua, & intra pietatis tua viscera suscipe me &c.* Hæc & similia cum dolore & lacrymis fatus, divinam impetravit misericordiam, dum Salvator in cruce oculos aperuit, Petrum benignè aspexit, & in signum reconciliationis ei caput inclinavit. Contigit hoc anno 1149, die 25. Martii.



## CONSIDERATIO XII.

Cruce Dominica Baculus Jacob, cujus ope nos oportet hujus sæculi transire Jordanem.

*In baculo meo transivi Jordanem istum. Gen. 32. 10.*

I.

**Q**uis non miretur, quòd Jacob Patriarcha tantoperè æstimaverit baculum suum, cujus ope Jordanem fluvium feliciter quondam pertransiit? Audiamus ipsum loquentem, & de baculo suo gloriantem: *In baculo meo transivi Jordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Et quare ille baculus in tanto honore & æstimatione? Adverte: Colluctabatur aliquando Jacob de nocte intempesta cum Angelo, in qua lucta reportavit nervum femoris vehemènti percussione & collisione luxatum ac claudum: *Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane, qui cum videret, quòd eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit;* Et quia nervus pedis ad ambulandum inutilis factus est, baculum in itinere adhibere coactus fuit, cujus adminiculo Jordanem fluvium rapacissimum feliciter pertransiit; proinde lætus de hoc felici successu de se ipso testatus est: *In baculo meo transivi Jordanem istum, cui baculo pro lemmate infirmum firmat.*

Hic sensus literalis est, sed alium & mysticum ego inquirò. Subintrat hic S. Augustinus: Baculus, inquit, ille Jacob crucem Dominicam præsignavit, in hoc enim baculo Christus Dominus turbulentam passionis Jordanem transmeavit, & cum duabus turmis, unâ Angelorum, quorum implevit ruinas, & alterâ hominum in cœlestem patriam reversus est.

S. Chryso. A.  
de laude  
S. Crucis.

Considera hęc anima Christiana; Jacobo quondam baculus in transitu Jordanis solatio & fulcro fuit; quid, obsecro, non faciet baculus S. Crucis Dominicę ad transeundum Jordanem hujus mortalis vitę, & imminentis mortis ac judicii, hoc enim significat Jordanis; *Flumen judicii?* Juvat hęc audire S. Chrysostomum: *Cruce, ait, est Christianorum spes, Crux Romanorum victoria, mortuorum resurrectio, cęcorum dux, converforum via, claudorum baculus, pauperum consolatio, arbor resurrectionis, lignum vitę æterna.*

2. Multam quondam fiduciam David in suo baculo pastoricio collocavit, dum enim nunc contra Goliathum ad singulare certamen ipsi erat procedendum, abjectis armis regiis, solum sibi de baculo, **1. Reg. 17. 39.** *fundam & quinque lapidibus providit: Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit ad Philistaum.*

Verum quid agis, o David? non cum canibus hęc tibi negotium est, sed cum hoste validissimo; ille gladio & lorica squammatam indutus & tu sine scuto, gladio, & hastam contra tam immane portentum audeas in arenam & duellum descendere? *Quid multis?* David adhuc adolescens gigantem stravit, vicit, debellavit. O victoriam nullis unquam sæculis satis decantandam!

S. Aug. serm.  
197.

S. Augustinus per Davidem Christum subaudit, per baculum crucem, *non enim domuit orbem ferro, sed ligno, per quinque autem lapides quinque ejus SS. Vulnera sunt præsignata.* Observa hęc modum, anime mi, quomodo contra hostes tuos, mundum, dæmonem, carnem, passiones tuas &c. debeas procedere: *Indue armaturam Dei, ut possis stare adversus insidias diaboli;* hæc autem armatura alia non est, quam baculus S. Crucis & SS. Vulnera JESU; audi Christianum Poëtam:

Ephes. 6. 11.

*Fide cruci: tota hoc pendet victoria signo:  
Hinc Erebi clades: hinc animæque salus.*

Psal. 22. 4.

3. Et hoc est, ad quod postea David jam in regem Israël inunctus in suis psalmis alludit, dum sæpius etiam in mediis periculis constitutus decantare solebat: *Esi ambulavero in medio umbra mortis: non timebo mala.* Et quare hoc, & unde tanta fiducia ac animi fortitudo in Davide? Ipse subjungit causam: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* S. Zeno sermone de Juda ait virgam cum baculo designare crucem, crux enim est virga & baculus pastorum contra lupos, canes,

eanes, aliosque tartareos incurfus, unde praefertur Summo Pontifici, Regi Apostolico, Patriarchis, Primatibus regnorum, Archiepiscopis, aliisque in summis dignitatibus constitutis, ut ex illius intuitu sciant regere sibi commissas oves & greges: *Non, inquit S. Cyrillus Hierosolymitanus, pudeat nos crucis Salvatoris, sed in ea potius gloriemur, absit nobis gloriari, nisi in cruce D. N. J. C.* S. Cyrill. Cateches. 13.

4. Eliseus Propheta ubi viduae pauperi oleum multiplicavit, Giezi servum suum ad Sunamitidem hospitam suam amandavit, ut filium ejus mortuum ope baculi sui revocaret ad vitam: *Tolle baculum meum in manu tua -- Et pones baculum meum super faciem pueri.* Fecit hoc Giezi, & puer Sunamitidis non surrexit; venit ergo ipse Eliseus, & incubuit per modum crucis expansis brachiis super puerum, & oscitavit puer septies, aperuitque oculos, & revixit. 4. Reg. 4. 29.

S. Augustinus per Eliseum Christum & per baculum ejus Dominicam crucem subaudit, *Baculus, ait, sine Eliso nihil valebat, quia crux sine Christo nihil poterat, opus ergo erat, ut qui baculum miserat, ipse descenderet:* Descendit igitur de caelis, naturam humanam assumpsit, humiliavit se usque ad crucis patibulum, ubi incubuit super mortuum, quem propria sua morte ad vitam novam resuscitavit. Ex quibus patet, quod omnis virtus ac dignitas crucis a Christo proveniat, qui eam, ut instrumentum redemptionis nostrae elegit, proprio cruore divino sanctificavit, atque per eam nos perditos Patri suo aeterno reconciliavit: *Pasificans per sanguinem crucis, sive qua in terris, sive qua in caelis sunt.* S. August. serm. 106. de Tem. Col. I. 20.

5. Olim praecipit DEUS, ut Hebraei in Palestinam profecturi prius agnum paschalem comederent, & inter manducandum baculos in manibus tenerent: *Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus.* Per agnum paschalem agnum Eucharisticum intellige, & per baculum crucem, haec enim est baculus Christianorum ad coelestem patriam tendentium. Exod. 12. II.

In nova Lege mandavit Christus, ut discipuli sui ad praedicandum Judaeis & Gentilibus Evangelium excurrentes, baculos quoque in manibus tenerent: *Praecepit eis, ne quidquam tollerent in via, nisi virgam tantum,* ut sic expeditiores essent in itinere. Marc. 6. 8.

Anima Christiana! grandis adhuc tibi restat via ad aeternam patriam, provide ergo tibi mature de forti baculo, quo possis inter tot animae & corporis pericula sustentari; Baculus hic alius non est quam SS. Crux: *Sicut canis, ait S. Cyrillus, timet baculum, ita daemones sugiant crucem.* S. Cyrill. Cateches. 4.

6. Recordor hîc S. Petri Apostolorum Principis, qui S. Maternum dilectum discipulum suum Episcopali dignitate insignitum in Germaniam misit, ut populis illius regionis sacrum annuntiaret Evangelium, quod & strenuè fecit, dum Tungrenses, Colonienses, & Trevirenses, aliòsque finitimos populos ad Christi fidem perduxit; & cum præmaturâ morte obiisset, ut illa vinea Domini magis adhuc excoleretur, eum Sanctus Petrus Ap. per baculum suum à se submissum, à morte per ingens prodigium suscitavit quadragesimo post mortem die. Plus Sancta Crux, cujus S. Petri baculus hîc typum gessit, quæ innumeros alios in peccatis demortuos ad vitam resuscitavit spiritualem & æternam, unde canit Ecclesia in Officio de Sancta Cruce: *Ad crucis contactum resurgunt mortui. & Dei magnalia referantur &c.*

Martyrol.  
Rom. 14. Sept.

Cornel in 4.  
Reg. 4. 3.

Joan. 6. 9.  
In actis S.  
Martialis Episcopi.

Bagatta to. I.  
& Vincent.  
Baralis in vita  
S. Cesar.

Brev. Rom.  
27. Novemb.

7. De S. Martiale referunt, quòd fuerit ille juvenis, de quo S. Andreas Ap. ad Christum, dum quinque hominum millia quinque panibus ac duobus piscibus satiare voluit, in monte trans mare Gallicæ dixit: *Ecce puer unus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces.* Hic ergo Martialis post Christi ascensionem in cœlum se Sancto Petro Apostolo adjunxit, cujus discipulus factus, ab eo Evangelii prædicandi causâ in Galliam missus est, ubi Lemovicenses, Burdegalenses & Tolosanòs ad Christum convertit; & cum civitas Burdegala ignis incendio jam consumenda videretur, baculus illius contra ignem sævientem oppositus mox omne incendium sopivit.

Simile quid legimus de baculo S. Ursi Episcopi, qui in civitate Antislodorense exortum incendium in momento extinxit. Item de baculo S. Cæsarii Ep. Arelatensis in crucem formato legimus, qui aëreas tempestates, fulmina, grandines à regione avertit. Et quis ignorat in diœcesi nostra Augustana, quanta DEUS beneficia per baculum pastorem S. Magni Abbatis Fiesensis etiamnum exhibere solet, dum per eum serpentes, mures & glires, agros & fruges perniciosè infestantes, depellit, fugat, aut necat. De baculo S. Gregorii Thaumaturgi perhibet Breviarium Romanum, quòd ad ripam defixus, Lycum fluvium, campos perniciosè inundantem, mirandum in modum coercuerit, ut posthæc terminos non ampliùs effluerit, qui baculus exindè non sine miraculo virentem excrevit in arborem &c.

8. Si DEUS talia ac tanta per baculos fervorum suorum miseris mortalibus præstitit, & etiamnum præstat beneficia, quid, obsecro, beneficiorum non speremus de baculo Sanctæ Crucis, per quem Christus de diabolo triumphavit, & mortem superavit in æternum? Tobias quondam Senior & Anna uxor ejus Tobiam juniorem, filium suum

suum unicū, baculum senectutis suæ solebant vocitare: *Ut quid te- Tob. 10. 4.*  
 misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostra, sola-  
 tium vita nostra. Ego autem dico: O Cruce veneranda, pretiosissimo  
 Christi sanguine purpurata, in qua salus mundi pependit, tu es lumen  
 oculorum meorum, tu baculus senectutis meæ, tu solatium vitæ  
 meæ, te millies, millièsque saluto & exosculor. Ecce advesperascit  
 apud me, & inclinata est dies vitæ meæ, mane ergo mecum, Domi-  
 ne, & Amor crucifixe, atque nunc in senectute mea ne derelinquas  
 me, inter brachia enim tua & vivere volo, & mori cupio. Finio  
 hanc considerationem cum Venerabili Thoma Kempensi: *Non est, Thom. Kemp.  
 inquit, salus anima, nec spes aeterna vita, nisi in cruce.* serm. 20. ad  
 Frat.



## CONSIDERATIO XIII.

Manipulus Joseph stans erectus in campo,  
 typus Christi Jesu in cruce exaltati.

*Venientes autem venient cum exultatione, portantes ma-  
 nipulos suos. Psal. 125. 8.*

1.

**D**E Josepho Jacobi Patriarchæ filio Sacræ perhibent litteræ, quòd  
 aliquando mirabile somnium, non naturale, prout explicant  
 Sacri Interpretes, sed à DEO sic immissum habuerit. Vide-  
 bat is tempore messis in fertili parentis sui agro manipulum,  
 quem ipse collegerat, proprio consurgere motu, & inter alios  
 erigi in altum, quem reliqui fratrum suorum manipuli prono in ter-  
 ram vultu adorabant. Audiamus ipsum loquentem: *Putabam nos liga- Gen. 37. 7.*  
*re manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum & stare, vestrosque*  
*manipulos circumstantes adorare manipulum meum.*

Per hunc Josephi manipulum solum inter omnes stantem & ere-  
 ctum Patres in sensu allegorico Christum JESUM in agro Golgothæo  
 in cruce stantem & erectum subaudiunt: *Hoc, inquit S. Ambrosius, s. Ambros.  
 scriptum est de Joseph, completum in Christo, quando Judæi in ejus passione dice- lib. de Josephi  
 bant; Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei &c. Cui cap. 3.*  
 Sancto